



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

**Puente, Luis de la
Coloniae Agrippinae, 1616**

§. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42916

ster Ignatius in libello Exercitiorum obseruandas præscribit (quas Additiones vocat) ad rectè habendam orationem; nulla, etiam minima, neglecta: obseruauerat enim diligenter, plurimum placere Deo, quod quis diuinam eius voluntatem plenè, etiam in rebus minimis, exequatur: vt nos ad suum conspectum, & familiaritatem admittat: cui vt verè obediens sunt charissimi: ita propria sua consilia sequentes orat: & quemadmodum ait S. Bernardus; cœlestis sponsus non requiescet per contemplationem in lectulo cordis non producentis obedientiæ flores, sed propriæ voluntatis vrticis seminati; nec se ipsum in oratione communicabit inobedienti is, qui ad eò obedientiam dilexit, tantiq; illam fecit, vt mori voluerit potius, quàm non obedire.

*Serm. 46.
in Cant.*

§. II.

HINC etiam ortū est, vt hanc orationis viam cum magna humilitate ambularet: nec voluerit vno quasi volatu ad eius culmen ascendere, sed per certos gradus ab infimo incipiendo; donec Deus ad altiorem ascendere ipsum iuberet. Vt enim idem S. Bernardus ait, non est tutum repenti ad summum ascendere, ac diuini oris osculum petere; nisi qui prius pedes, & postea manus cœlestis Sponsi fuerit osculatus. Quam rationem Pater hic Balthassar tenuit in progressu meditationum, & in operibus triplicis vitæ Purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ: incipiens à primis, vt se ipsum à culpis omnibus purificaret, & passiones ac reliquas res, quæ familiaritatem cū Deo impedirent, reprimeret, ac mortificaret.

*Serm. 3. in
Cant.*

quare magnam semper rationem habuit duplicis conscientiae examinis quotidiani, quo utitur Societas: generalis scilicet omnium culparum ac defectuum; & particularis circa particularem aliquem ad illum exuendum & euellendum; adnotans, quoties mane, & quoties vespere in illum incidisset: & hos cum illis conferens: sicut & quos uno die aut una septimana, cum alterius diei aut septimanae praecedentis: ut intelligeret, an verè proficeret, nec ne. Cuius exercitationis magnam ducebat rationem, dicens illud esse genus quoddam practicae orationis, qua propria cognitio obtinetur, quae radix est humilitatis; & cordis puritas, quae dispositio maximi momenti est ad familiaritatem cum D E O habendam.

H V I C diligentiae aliam magni momenti addebat ad proficiendum in ipsa oratione. Reflectebat enim se, & ad eius finem, examen instituebat de omnibus, quae in ipsa oratione acciderant, siue benè, siue malè: ut incuriam suam deferret, ac emendaret, gratias verò D E O ageret ob sensa bona, quae ipsi communicasset. Ne autem haec ipsa obliuioni traderet, adnotabat in libello quodam, (cuius in praefatione meminimus) appposito die, mense, & anno; imò & occasione, qua talia sentiebat: & in eodem scriptum reliquit, huiusmodi veritates tanquam prunas fuisse coelestes in suo pectore, quae ipsius torporem excitarent, cum tepidum & ignauum sentiret: & ita memoriam eorum reficabat, & cum mora ruminabat: ut novum ex eis fructum hauriret.

E x

Ex quo alius quoque valdè magnus illi fructus proueniebat ad continuè perseverandum in oratione. Amplectens enim illud Saluatoris cōsiliū : a oportet semper orare & non deficere, a Luc. 18. 1. tota die occupabatur, ac ruminabat bonos motus ac sensa, quæ in matutina oratione habuisset : vnde fiebat, vt noua alia Deus illi communicaret. Ita ipse in prædicto libello fassus est : in quo hanc proponit interrogationem : quid debet quis interdiu cogitare ? & respondet in hunc modum : si apertos habeat oculos, oratio cœlestis, & b reliquia cogitationis diem festum agent ei. b psal. 75. Quemadmodum enim, ait, in aula principis, fideliter seruienti datur quotidie constituta portio : ita Deus fideliter sibi obsequentibus ex reliquijs ferculi proprii noua sensa communicat veritatum, quibus anima iucundè alitur & occupatur. Et ego, inquit, experior in mea, quòd non possit tot bolos digerere, quot ei offeruntur. Ex quo apparet, quàm profusus DEVS Dominus noster in seruum suum hunc fuerit : Siquidem tanta erat spiritualium sensuum copia, & magnitudo, vt non sufficeret ei tempus ad eos ritè digerendos, quamuis toto die se in eis ruminandis occuparet. Hinc autem oriebatur vt semper in DEI præsentia versaretur; ac sese frequentissimè intra seipsum colligeret, vt eundem maiori attentione & viuacitate aspiceret; contendendo, vt in ipso foro non minus esset collectus, quàm si maneret in suo cubiculo : & obseruauit aliqui, quòd non posset impedire, quin frequenter ita eius oculi clauderentur, atque si reuera dormitaret : idque ex

contracta iam consuetudine illos spontè claudendi, vt facilius posset interiores aperire. Et similiter, cum Nouitius & Studiosus esset, Patremque aliquem comitaretur, toto illo tempore & quamdiu Pater negotia sua peragebat, semper ipse orationi attendebat. Et similiter, cum faciebat iter semper orabat: ac propterea dicere solebat, esse bonum, quòd quis alium comitetur, aut iter faciat: quia tam diu licet semper orare. Et hac ratione coniungebat Pater Balhassar duas res illas, quæ hominem reddunt spiritualem ac deditum orationi. Neque enim satis ad id est prolixa & recollecta oratio, si interdum effunditur cor, & illam continuare obliuiscitur, ruminando quod ex ea hausit; aut alias iaculatorias breues ac frequentes addendo: nam, vt ait Cassianus, valde parum orat, qui solum orat quando flectit genua, nisi conetur explere illud Apostoli *« sine intermissione orate »*. Neque sufficit breuium orationum frequentia, nisi accedat interdum oratio recollecta, in qua accenditur cor ad præsentiam Dei, & internam recollectionem conseruandam: ita vt nec frigescat, nec euanescat ex occupationibus interdum occurrentibus, & hoc nomine sæpius repetebat, quod Magister Ioannes de Auilla author libri, cui Titulus Audi Filia, respondit cuidam interroganti: an sufficeret Dei præsentiam interdum habere, & interius esse collectum sicut ipse erat? cui ille respondit: nisi ultra id aliquid habeat, euanesceat: & interrogatus quid illud ultra esset, respondit: frequentiam prolixa orationis.

OMNES hæc diligentias obsignauit Pater Bal-

Coll. 10. c. 13

1. Thes. 5. 17

Balthassar magna constantia & perseverantia in rebus omnibus prædictis. Nam licet in sexdecim annis, quibus hunc orationis modum tenuit, magnas nebulas, & spiritus ariditates, durities, distractiones, animi defectiones, aliasque afflictiones, & probationes, quas expeririuntur, qui hanc viam ambulant, sustinuerit: nunquam tamen desideria orationis deposuit; nec exactam in ea habenda executionem; sed tanta diligentia & constantia in ea perseveravit, atque si iucundum semper & facilem aditum inueniret, collocabat nimirum præcipuam suam fiduciam in infinita misericordia ac liberalitate DEI, in cuius conspectu sese constituebat, quemadmodum Cananæa illa dicebat: *d Matt. 15. 27. e Luc. 11. 8.* tanquam *a catellum expectantem micam cadentes de mensa Domini sui*: & sicut *e amicus ille* Evangelicus, etiam repulsus non destitit ad portas DEI pulsare per multos annos, donec tandem exauditus fuit, & ad familiaritatem eius admissus, cum ingenti cœlestium donorum copia, ut apparebit ex capite duodecimo, in quo ponentur & fructus & magna præmia, quæ accepit ob hæc diligentias, & perseverantiam in eisdem.

(* *)

